

† R. P. Henricus Fleming (1896 - 1956)

(Prov. Toront.)

Mane diei 22 Martii 1956, fer. V, sodalis Torontinae Provinciae admodum pius et exemplaris ad aeterna praemia vocatus est, victima carcinomatis hepatici (*disease cancer*). Ante aliquot menses P. Fleming subierat chirurgicam operationem, et vix meliuscule se habuit, cum denuo visus est sacri ministerii operae plene deditus. Verumtamen haec commodior valetudo non duravit diu, et tunc medici dederunt saevum suum iudicium finem non longe abesse. Aegrotans, secutus suorum Superiorum consilia, urbis natalis Hamilton nosocomium petiit, sed eius valetudo inde nullum verum iuvamen recepit. Saepe tamen gratum suum manifestabat animum de sibi collato privilegio litandi in proprio cubiculo, id quod fere usque ad ultimum diem devotissime fecit. Mortem hic genuinus S. Alfonsi filius opetiit forti animo, confortatus ultimis sacramentis, dum quidam confrater una cum Sororibus nosocomis animae commendationem recitat.

Henricus Fleming natus est in Hamilton, Ontario, d. 14 Nov. 1896, et studia humanistica in Baltimorensis Provinciae collegio North East incepit, sed in patro collegio Brockville absolvit Maio 1922. Finito tirocinio in S. Ioannis

civitate, Novae Brunsvigae, rediit in Baltimoreensem Provinciam ad maius Seminarium Esopus, ubi 24 Iunii 1928 E.mus Cardinalis Hayes eum presbyterum ordinavit.

E duodetriginta sui sacerdotii annis per duodeviginti praefuit Rector variis communitatibus, et primum quidem, etiamtum iuvenis, in Charlottetown; dein per duo triennia Toronti ad S. Patricii, infatigabili studio omnibus inserviens. In moderandis exercitiis devotionis erga Perpetui Succursus Matrem admirabantur omnes summam eius attentionem ac profundissimam pietatem. Renuntiatus Rector ecclesiae S. Petri Sancto Ioanne, spiritu vere Redemptoriano quaerebat animas spirituali ope magis egentes. Ubi de salute animarum immortalium agebatur, non concedebat sibi requiem. Ultimum suum rectoratum Quebeci ad S. Patricii habuit, ibi quoque sueto zelo ac deditio laborans. Sed iam venerat tempus quiescendi a labore.

Primae post obitum exsequiae Hamiltonii habitae sunt, et ipse loci Episcopus Exc.mus Ios. Franc. Ryan ac totius urbis clerus sua praesentia eas sollemnizarunt; adeo omnes eum venerabantur. Pariter insequenti die ad exsequias, quas Toronti Pl. R. P. Provincialis A. Ryan celebravit, sacerdotes ac laici numerosi e locis vicinis ac longinquis accurrerunt, oraturi pro hoc sacerdote pio et genuino religioso. Nos quoque Deum precemur ut eius pia anima in caelesti sede gloria semper exultet.

J. O'DONNELL - C. HENZE